

statim instrumenta singula spiritualis pugnae tradens, addidit & dixit: State ergo succincti lumbos vestros in veritate: & indui loricae iustitiae, & calcia pedes in preparatione Evangelii pacis in omnibus affluentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem. Et quoniam de hoc bello licet etiam feminis triumphare, suscipe haec arma Pauli, & tanti hortatione ducis certam praesume victoriam. Haec enim si tu omnia instrumenta possideas, secuta procedes ad praerium spirituale, nec pavebis diabolus cum toto exercitu suo. Cadent enim a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabunt. Beatus quoque Jacobus ille Christi miles emeritis non minore nobis auctoritate de hoc bello victoriam pollicetur: Subditi, inquit, estote Deo: resistite autem diabolo & fugiet a vobis. Ostendit quomodo resistere debeamus diabolo, si utique sumus subditi Deo, eisque faciendo voluntatem, ut divinam etiam mereamur gratiam: & facilius nequam spiritui, auxilio sancti Spiritus resistamus. Neque vero aperta contra nos pugnat acie: nec publica nobiscum fronte congregitur, sed dolo vincit ac fraude, nostraque contra nos utitur voluntate. De consensu adversariorum vires accipit, nostroque nos, ut dici solet, jugulat gladio. Infirmitas hostis est qui non potest vincere nisi volentem. Procul a nobis desperatio, procul omnis ab animo recedat pavor adversariorum. Non adjuvemus, sed vincamus adversarios. Dant illi quidem consilium, sed nostrum est vel eligere, vel respicere quod suggerunt. Non enim cogendo, sed suadendo nocent. Non extorquent a nobis consensum, sed expetunt. Unde etiam Ananias dicitur: Quare tentavit cor tuum Satanam mentiri te Spiritui Sancto? Quod utique illi Apostolus nunquam imputaret, si id absque ipsius voluntate diabolus fecisset. Ipsa etiam Eva jam condemnatur a Domino: quia ab eo quem poterat superare, superata est. Nec enim meruisset a Domino iustitiae puniri quae victa est, nisi vincere ipsa potuisset. Huius nequissimi hostis est illa, vel prima calliditas, & ars doli plena, fatigare cogitationibus rudes animas: & novellis in proposito mentibus de ipsa interdum conversatione afferre mororem: ut facile ab huius rei profectu deterreatur animus, cuius initia amara cognoverit. Itaque solet tam sordidas conunquam & impias cogitationes inferere menti, ut qui tentatur, dum suum illud putat esse quod cogitat, deteriore se per spiritum immundum proposito suo arbitretur effectum multoque puriore animam habuisse se credat, cum adhuc res saeculi amaret. Vult enim his quibus invidet callidissimum inimicum horrorem propositi ex desperatione facere sanctitatis: ut eos obsidente tristitia, & si a proposito non revocat, certe retineat a profectu. Propter quod maxime sanctarum tibi scripturarum studium diligendum est: illuminanda divinis eloquiis anima: & coruscante Dei verbo, diaboli repellenda sunt tenebrae. Cito enim fugit ille ab ea anima quam sermo divinus illuminat: quae caelestibus semper cogitationibus occupatur. In qua assidue est Dei verbum, cuius vim nequam spiritus non potest ferre. Et ideo beatus illud Apostolus spiritualis bellum cetera instrumenta gladio comparavit. Est autem tutissimum atque perfectum: ut assuescat animus sollicita semper pervigilique custodia discernere cogitationes suas: & ad primum animi vel probare, vel reprobare, quod cogitat: ut vel bonas cogitationes alat, vel statim extinguat malas. Hinc namque fons est boni, & quod origo peccandi, quibus ingentis delicti in cogitatione principium est, quae unum quodque opus velut in quadam cordis tabula desingit, antequam faciat. Nam sive ille actus sive sermo sit, ut profertur ante disponitur, & cogitationum consilio discernitur quod futurum est. Vides quam brevi interdum momento quaeque ista quis cogitet cogitataque perficiat: nec quicquam omnino, vel lingua, vel manu, ceterisque membris agitur, nisi cogitationes ante dixerint. Unde & Dominus in Evangelio dicit: De corde hominis procedunt cogitationes male, adulterium, fornicatio, homicidia, furta, falsa testimonia, avaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemias, superbia, stulticia. Haec sunt quae coinquinant homines. Omnis ergo sollicitudo tua, omnis intentio debet esse in custodia. Ibi te maxime oportet observare peccatum, ubi nasci solet: statimque ad primam tentationis re-

a Haec verba ex Epistola Pelagii ad virginem sacram refutat Augustinus cap. 22. lib. 1. contra eundem Pelagium.

pugnare faciem: & malum antequam crescat extinguere. Nec enim expectandum est augmentum eius rei, quae timere debet a parvo: & quae tanto facilius vincitur, quanto ei citius repugnatur. Ideo clamat scriptura divina: Omni custodia serva cor tuum: ex eo enim exitus vitae. Distinguendum est autem inter istas cogitationes, quibus voluntas favet, quas cum delectatione amplectitur: & inter eas cogitationes, quae tenuis umbræ modo praevalere mentem solet: seseque tantummodo, vel transeundo monstrare: quas Graeci *nois* vocant vel certe inter illas quae repugnanti ac invito animo suggeruntur, quibus mens cum horrore quodam renititur ac resistit: quibus ut contristatur admissis, ita gaudet expulsis. In illis quidem quae se leviter menti ostendunt, & quasi fugiendo demonstrant se: nec peccatum omnino, nec pugna est. In iis autem cum quibus aliquandiu anima luctatur, quibus resistit voluptas, aequale certamen est. Aut enim consentimus, & vincimur: aut respuimus & vincimus, & acquirimus de pugna victoriam. In illa ergo tantummodo cogitatione peccatum est, quae suggestioni consensum mentis dedit: quae malum suum blandè fovet: quae in factum gestit erumpere. Huiusmodi cogitatio etiam si ex aliquo impedita casu, non impleat voluntatem nihilominus actione criminis condemnatur a Domino: ut illud in Evangelio legimus: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo apud Deum: cui nota sunt omnia etiam antequam fiant. Voluntas perfecta faciendi, reputatur pro opere facti. Qua de re debes (sæpe enim repeto quod fieri semel volo) sanctas scripturas sine intermissione meditari. Hisque tuam replere mentem; & malis cogitationibus locum auferens, divinis animam sensibus occupare: quantumque Deum diligas, ex dilectione legis eius ostendere. Unde scriptura dicit: Qui timet dominum, inquirent quod beneplacitum est illi & qui diligunt eum, replebuntur lege eius. Tunc senties quantum ad eius amorem adjuvet te sapientia: quantum sit in te divina legis auxilium, & Domino cum David lata cantabis: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Excitandus est enim spiritualibus stimulis semper animus; & majori quotidie ardore renovandus. Orationis instantia, illuminatio lectionis, sollicitudo vigiliarum, & diurna & nocturna eius incitamenta sunt. Nihil enim in hoc proposito ocio deterius est: quod non solummodo non acquirit nova; sed etiam parata consumit. Sanctae vitae ratio processu gaudet & crescit: cessante torpescit, & deficit. Quotidianis ac recentibus virtutum incrementis mens instauranda est: & vivendi nobis hoc iter, non de transacto, sed de reliquo metiendum. Quam diu sumus in hoc corpore, nunquam nos ad perfectum venisse credamus. Sic enim melius pervenitur. Tam diu non relabimur retrò, quam diu ad priora contendimus. At ubi ceperimus stare, descendimus: nostrumque non progredi, jam reverti est. Cesset omnis ignavia, & inutilis de praeterito labore securitas. Si volumus non redire, currendum est. Apostolus de die in diem vivens Deo: non quid ante fecisset, sed quid facere deberet semper attendens, dicebat: fratres, ego me non arbitror comprehensisse aliquid: unum autem quae quidem sunt retrò obliviscens, ad ea verò quae sunt priora me extendens, ad destinatum persequor bravium supernae vocationis Dei. Si beatus Paulus vas electionis: qui ita Christum indutus erat, ut diceret: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus: adhuc tamen se extendit, adhuc crescit & proficit: quid nos facere debemus, quibus optandum est, ut in fine nostro, Pauli principio comparemur? Ergo tu hunc imitare qui dixit: Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Obliviscere omne praeteritum: & quotidie inchoare te puta: ne pro praesenti die quo debes servire Deo, praeteritum imputes. Optime quaesita custodias, si semper inquiras. Damnum parata sentient: si parare cessaveris. Ducas forsitan: Grandis labor est. Sed respice quod promissum est: Omne opus leve fieri solet, cum ejus precium cogitatur: & spes praemii solatium est laboris. Sic durus agricultura, inaratum diu campum, & pinguiore otio glebas violento vomere scidisse se gaudet, & mirum in modum ipsa operis difficultate latus spem segetis de labore metitur. Sic negociator avidus maria contemnit: spectare ausus fluctuum spumas rabiemque ventorum. Dumque in omni labore ac periculo lucrum cogitat, & lassitudinem simul obliviscitur & timorem. Considera quæso magnitudinem praemii tui, si ta-

men considerari potest, quidquid immensum est, post abscissionem animae, post carnis interitum, post favillas & cinerem, in meliorem statum virgo reparanda es. Mandatum terrae corpus in caelum elevandum est: & mortale tuum immortalitatis honore mutandum est. Post haec angelorum es donanda consortio: regnum acceptura caelorum: ac in perpetuum mansura cum Christo. Quid ergo retribuere Domino pro omnibus quae retribuit tibi? Quid tanto remuneratore dignum facies? Aut quem laborem durum putabis, cuius tanta sunt praemia? Unde beatus Apostolus: Nullae, inquit, sunt condignae passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Quid enim dignum vel facere, vel pati possumus in brevi hoc tempore vitae nostrae: cum id immortalitate sit compensandum? Propter quod idem Apostolus ait: Id enim quod in praesenti saeculo est momentaneum ac leve tribulationis nostrae: supra modum in sublimitate, aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Respuantur honores, despiciantur divitiae. Ipsa quoque vita nostra, martyrii amore contemnatur. Et haec omnia etiam si pro aeternitatis praemio non darentur, essent tamen quandoque peritura. Amittunt etiam hoc illi qui semper cupiunt possidere. Quam multos memoria nostra retinet in maximis honoribus ac divitiis constitutos, repente de summo illo potentiae fastigio concidisse: & eos qui tumore elati, aliud quiddam quam homines esse se putabant, exitu tandem suo docuisse nos quid fuerint. Quid enim in hoc mundo stabile? Quid verò firmum est: quid porro non breve & incertum, & calui non serviens, Quale istud bonum est, quod semper timeas amittere: quod vel auferendum abs te metuas, vel a te relinquendum scias? Nam & si nullo id eripiaru casu, vel morte certe perdendum est. Et si vita nostra tendatur per mille annos: & ad extremum illum totius diem aetatis, quotidiana deliciarum voluptate veniamus: quale hoc quæso diu est, quod sine delectat? Aut quis illius voluptatis fructus est: qui statim ut cessaverit, videbitur tibi non fuisse? Age jam transactum vitae tuae tempus animo revolve. Nonne videbitur tibi umbra quaedam fuisse quod transiit: & ad instar somnii tenuis, incertum esse omne quod videtur? Hoc idem & decrepitis senex sentire potest: cui convenit dicere cum Propheta: Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fenem arui. Quod si haec etiam hic possumus dicere: ubi quamvis brevis, tamen quia praesens est vita ista, magni penditur: quid in futuro dicturi sumus, ubi majore aeternitatis scientia; transactum omne pro nihilo est? Haec tu tecum diligenter revolvens, & brevitate vite huius aeternitatis contemplatione despicies: ipsum quoque contemptum mundi, majori animi virtute contemne: & ad illum tantum diem totam para te, in quo mundi gloria finienda est. Illum, inquam, diem, quem Salvator diluvio comparavit: qui multos fallaci securitate deceptos: furvivo, ut ait Apostolus, comprehendet adventu. Quem beatus quoque Petrus describens ait: Adveniet autem dies Domini sicut fur: in qua res cuncti magno impetu transibunt. Elementa vero a calore solventur. Cum haec omnia dissolvenda sint, quales oportet nos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum Domini Dei, in quo caeli ardentis solventur: & elementa ignis calore tabescent? Recens factum est, & quod ipsa audisti, cum ad stridula buccinae sonum Gotthorumque clamorem, lugubri oppressa metu Domina orbis Roma contremuit.

Ubi tunc nobilitatis ordo? ubi certi & distincti illius dignitatis gradus? Permixta omnia & timore confusa, omni domui planctus, & aequalis fuit per cunctos pavor. Unum erat servus & nobilis. Eadem omnibus imago mortis: nisi quia magis eam timebant illi, quibus fuerat vita jucundior. Si ita mortales timeamus hostes & humanam manum: quid faciemus cum clangore terribili tuba intonare de caelo ceperit: & ad illam archangeli vocem, omni buccina clariorem, totus simul remugiet mundus? cum viderimus super nos non manufacta arma concuti, sed & virtutes caelorum commoveri, sicut Propheta dicit: cum venerit Dominus ponere orbem terrae desertum, & peccatores perdere ex eo: quis tunc nobis pavor, quae caligo, quae tenebrae, cum nos saepius ac toties admonitos: & tamen imparatos dies ille repererit? Tunc, inquit, plangent super se omnes tribus terrae: & videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa & majestate. Tunc dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos: & petris, aperite vos nobis. Verum haec eorum sint, qui variis huius mundi detenti curis,

de mundi non cogitant sine. Tu verò cui adventus Christi diei nocturnumque meditatio est, cui pro conscientiae puritate, Domini est optanda praesentia: quae consummationem saeculi quasi certum praemii tui tempus expectas, exultationem de caelo capies, non timorem. Tunc enim tu sanctorum mixta chorus: & sanctis comitata virginibus, sponso obviam subvolabis, & dices: Inveni quem quaesivit anima mea. Nec ullius jam temporis separationem timebis: quae semel immortalitatis gloria, & incorruptionis splendore donanda es: & cum Christo semper futura es, Apostolo dicente: Quoniam ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de caelo: & mortui qui in Christo sunt, resurgent prius. Deinde nos qui vivimus: qui relinquitur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aera: & ita semper cum Christo erimus. Haec sit igitur cura tua semper, hoc studium: haec jugiter virginis corde volentur. In his totius diei versetur labor. In his nocturnus somnus reponatur. In hac anima rursus evigilet. Et enim nullus labor durus: nullum tempus longum videri debet, quo dona aeternitatis acquiruntur.

AUGUSTINI ET ALIPII AD JULIANAM Demetriadis virginis matrem.

Dominae debitis in Christo officiis honorandae & merito illustri filiae Julianae, Alipii & Augustinus in Domino salutem. Grate admodum nobis jucundeque accidit: ut simul nos constitutos apud Hipponem, tuae reverentiae literae reperirent: quibus haec rescripta pariter redderemus vestra incolumitate cognita gaudentes: vicissimque nostram quam vobis cordi esse confidimus, mutua dilectione nunciantes, Domina debitis in Christo officiis honoranda & merito illustris filia. Scire autem vos optime scimus, quantum vobis debeamus religionis affectu: quantaque nobis & apud Deum & inter homines sit cura de vobis. Licet enim vos per literas primum: deinde etiam praesentia corporali, pia & Catholica, hoc est vera membra Christi, exiguitas nostra cognoverit: tamen etiam per ministerium nostrum cum accepissetis verbum auditus Dei, sicut dicit Apostolus: Accepistis non ut verbum hominum, sed sicut est verbum Dei. Cujus ministerii nostri, adjuvante gratia & misericordia Salvatoris, in domo vestra tantus fructus exortus est: ut humanis nuptiis jam paratis, sancta Demetrias spirituale sponso illius praefereat amplexum: cui specioso praerati filii hominum ad habendam spiritus uberiores fecunditatem, nec amittendam carnis integritatem, virgines nubunt. Nesciremus autem quemadmodum nostra illa tunc exhortatio a fideli & nobili virgine fuisset accepta: nisi nobis profectus cum post paululum professa fuisset sanctimoniam virginalem, hoc ingenis Dei donum quod per servos suos quidem plantat & rigat: sed per seipsum incrementum dat nobis operariis provenisse, vestrarum literarum latissimo nuncio, & veraci testimonio disceremus. Quae cum ita sint, nemo nos improbos dixerit, si in vobis admonendis, ut contraria gratiae Dei dogmata devitetis, necessitudine sumus propensiores solliciti. Nam licet nos Apostolus, non solum opportune, verum etiam importune praedicando, verbo instare praecipiat: non tamen in coram hominum numero vos habemus, quibus sermo vel pagina nostra importuna videatur quando id quod ad sanam doctrinam non pertinet: vos ut vigilanter evitetis, alloquimur. Hinc ergo est, quod admonitionem nostram tam grato animo suscepistis: ut in Epistola tua ad quam nunc rescribimus, diceret: Sane quod me hortatur reverentia vestra, ne indulgeam aures his hominibus, qui pravis tractatibus venerandam fidem saepe corrumpunt: gratias uberes ago tam pie admonitioni. Quod itaque adjungis & dicit: Sed noverit sacerdotium vestrum, longe me ac domunculam meam ab huiusmodi personis esse discretam: omnique familia nostra adeo Catholicam sequitur fidem, ut in nullam haeresim aliquando devierit, nec unquam lapsa sit: non dico in eas sectas, quae vix expiantur: sed nec in eas, quae parvos habere videntur errores: hoc est quod nos magis magisque compellit non tacere apud vos, de iis qui etiam illa quae sana sunt, vitare conantur. Domum enim vestram non parvam Christi Ecclesiam deputamus. Nec sane parvus est error illorum, qui putant ex nobis ipsis nos habere, si quid iustitiae, continentiae, pietatis, castitatis, in nobis est: eo quod ita nos condiderit Deus: ut ultra praeter quod nobis revelat scientiam, nihil nos adjuvet: ut ea quae faciendae dis-

cendo novimus, etiam diligendo faciamus: naturam scilicet atque doctrinam definites tantummodo esse Dei gratiam & adiutorium: ut iuste recteque vivamus. Ad habendam vero voluntatem bonam, ubi est hoc ipsum quod iuste vivimus, & ipsa charitas quae in omnibus Dei donis ita excellit, ut etiam Deus dicta sit: qua una adimpletur in nobis, si quid divinae legis & admonitionis implemus, nolunt nos divinitus adjuvari: sed nos ipsos dicunt arbitrio proprio nobis ad ista sufficere. Non vobis videatur error iste mediocri, proferri velle Christianos: nec velle audire Apostolum Christi, qui cum dixisset: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: ne quicquam eam se habere non nisi per proprium putaret arbitrium, continuo subiunxit: Per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hanc magnam esse gratiam Salvatoris qui ascendens in altum, captivavit captivitatem, & dedit dona hominibus: quibus nondum nondum confiteatur, quantum & quam exiabiliter errat, intelligis. Quomodo ergo a vobis, quibus tantam dilectionem debemus admonendis, ut talia caveatis dissimulare possemus, cum legisset librum quem ad sanctam Demetriadem quendam scripserat, vel utrum ad vos pervenerit, vestris potius rescriptis nosse volumus. In quo libro, si fas est, legat virgo Christi, unde credat virginalem suam sanctitatem, omnemque spirituales divitias non nisi ex seipsa sibi esse. Atque ita priusquam sit plenissime beata, discat Deo esse, quod absit, ingrata. Verba enim ad illam scripta in eodem libro ista sunt. Habes ergo & hic, inquit, per quae merito praepararis aliis, imo hinc magis: nam corporalis nobilitas atque opulentia tuorum intelliguntur, non tua esse. Spirituales vero divitias nullas tibi praeter te conferre poterit: in his ergo iure laudanda, in his merito ceteris praefrendenda es: quae nisi ex te, & in te esse non possunt. Cernis nempe quanta in his verbis sit cavenda pernicies. Nam utique quod dictum est, non possunt esse ista bona nisi in te, optime & verissime dictum est, iste plane cibus est. Quod vero ait: Non nisi ex te, hoc omnino virus est. Absit ut haec libenter audiat virgo Christi, quae pie intelligit propriam paupertatem cordis humani: & ideo illic nisi ipsi sibi donis nescit ornari. Audiat ergo potius Apostolum dicentem: Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit in versutia sua: sic & vestrae mentes corumpantur a castitate quae est in Christo. Et propterea de his quoque spiritualibus divitiis non istum qui dicit: nullus eas, praeter te tibi conferre poterit: & nisi ex te, & in te, esse non possunt: sed illum audiat qui dicit: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: ut eminentia virtutis Dei sit, & non ex nobis. De ipsa quoque sacra continentia virginali, quod non sibi sit ex seipsa: sed sit donum Dei, quamvis credenti volentique collatum: eundem audiat veracem piumpque doctorem, qui cum hoc ageret, ait: Vellem omnes esse sicut meipsum. Sed unusquisque proprium donum habet a Deo: alius sic, alius autem sic. Audiat etiam ipsum non tantum suum, sed universae Ecclesiae unicuique sponsum, de tali castitate atque integritate dicentem: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: ut intelligat ex eo quod habeat, tam magnum bonum atque praclarum, se potius Deo & Domino nostro gratias agere debere, quam cuiusquam verba, quod velut ex se ipsa id habeat, ut non dicamus, assentantis adulatores, ne de occultis hominum temere iudicare videamur, certe errantis laudatoris audire. Omne quippe datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, sicut etiam dicit Apostolus Iacobus, descendens a patre luminum. Hinc ergo & sancta virginitas, qua te filia volentem gaudentemque vicit: nata posterior, actu prior, genere ex te, honore ante te, aetate subsequens, sanctitate praecedens: in qua etiam tuum esse cepit, quod in te esse non potuit. Illa quippe carnaliter non nupsit: ut non tantum sibi, sed etiam tibi ultra te spiritualiter augetur: quoniam & tu ea compensatione minor illa es, quod ita nupsisti ut nascere- tur. Haec Dei dona sunt, & vestra quidem sunt, sed non ex vobis. Habetis enim thesaurum istum in terrenis corporibus, & adhuc fragilibus tanquam in vasis fictilibus: ut eminentia virtutis sit Dei, & non ex vobis. Nec miremini quia dicimus, & vestra esse, & ex vobis non esse. Nam & panem quotidianum dicimus nostrum: sed tamen addimus, da nobis, ne putetur esse ex nobis. Proinde sicut scriptum est: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Oratis enim ut perseveranter & proficenter habeatis. Gratias agitis, quia non ex vobis habetis. Quis enim vos ab illa ex Adam massa

mortis perditionisque discernit? Nonne ille qui venit quare, & salvare quod perierat? An vero quando Apostolo dicente audierit homo: Quis enim te discernit? responsum est: Bona voluntas mea, fides mea, iustitia mea, & non continuo quod sequitur auditurus: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti: nolimus ergo ut virgo sacra, cum audit vel legit: Spirituales divitias nullas tibi praeter te conferre poterit, in his iure laudanda, in his merito ceteris praefrendenda es, quae nisi ex te, & in te esse non possunt: Nolimus propterea ita gloriari quasi non accepisti. Dicat quidem: in me sunt Deus vota tua, quae reddam laudes tibi. Sed quia in illa, non etiam ex illa, meminerit etiam dicere: Domine in voluntate tua, praestitisti decori meo virtutem, quia & si etiam ex illa propter arbitrium proprium, sine quo non operamur bonum: non tamen sicut iste dixit, non nisi ex illa. Proprium quippe arbitrium, nisi Dei gratia iuvetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest. Deus est enim, inquit Apostolus, qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Non sicut isti sentiunt, tantummodo scientiam revelando, ut noverimus quid facere debeamus: sed etiam inspirando charitatem, ut ea quae discendo noverimus, etiam diligendo faciamus. Nam utique noverat ille quam magnum bonum esset continentia, qui dicebat: Et cum scirem, quia nemo esse potest continens nisi Deus det. Non solum ergo sciebat quantum esset hoc bonum, & quam desiderabiliter esset concupiscendum, verumetiam quod nisi dante Deo esse non posset. Docuerat enim eum sapientia, nam hoc dicit: Et hoc ipsum erat sapientiae scire, cuius esset hoc donum. Nec tamen ei scientia ista sufficit, sed ait: Adii Dominum, & precatus sum illum. Non igitur tantummodo in hoc nos adjuvat Deus, ut sciamus quid agendum sit: verumetiam ut amando agamus, quod discendo jam scimus. Nemo itaque potest esse non solum sciens, verumetiam continens, nisi Deus det. Unde cum jam ille haberet scientiam, precabatur ut haberet & continentiam, ut esset in illo quod sciebat, quia non esset ex illo. Aut si propter liberum arbitrium proprium aliquantum ex illo, non tamen nisi ex illo: quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Iste autem de spiritualibus divitiis, in quibus est utique etiam ipsa luminosa, & speciosa continentia, non ait: in te, & ex te esse possunt: sed ait: nisi ex te, & in te esse non possunt: ut quemadmodum non ei sunt alibi, nisi in illa: sic ei non aliunde, nisi ex illa esse posse credantur: & ob hoc, quod miserator Dominus a corde ejus avertat, sic gloriatur quasi non accepit. Et nos quidem de sanctae virginis disciplina, & humilitate Christiana, in qua nutrita & educata est, hoc existimamus, quod illa verba cum legeret, si tamen legit, ingemuit: & peccatus humiliter tuteat, ac fortassis & flevit: Deumque cui dicata & a quo sanctificata est, fideliter oravit: ut quomodo illa non sunt verba ipsius, sed verba alterius, ita non sit talis & fides ejus, qua se aliquid habere credit: de quo in se, non in Domino gloriatur. Nam gloria quidem ejus in ipsa est, non in verbis alienis, sicut Apostolus dicit: Opus autem suum probet unusquisque, & tunc gloriam habebit in semetipso, & non in altero. Sed absit ut gloria sua ipsa sit, & non ille cui dicitur: Gloria mea & exaltans caput meum, ita quippe est in ea salubriter gloria ejus, cum Deus qui in illa est, ipse est gloria ejus, a quo habet omnia bona, quibus est bona. Et habebit omnia quibus melior erit, in quantum in hac vita melior esse poterit. Et quibus perfecta erit, quando fuerit divina gratia, non humana laude, perfecta. In Domino enim laudabitur anima ejus, qui satiavit in bonis desiderium ejus: quia & hoc desiderium ipse inspiravit, ne virgo ejus sic in aliquo bono gloriatur quasi non accepit. De hoc ergo ejus affectu, utrumnam fallamur, inde nos fac potius referendo certiores. Nam illud optime novimus, cum omnibus vestris, cultores vos esse & fuisse individuae Trinitatis. Sed non hinc solum error humanus obrepit, ut aliquid secus sentiat de individua Trinitate. Sunt enim & alia in quibus perniciosissime erratur, sicuti hoc est, unde diutius fortasse, quam satis esset vestrae fidei castaque prudentiae in hac Epistola locuti sumus: quamquam qui bonum quod ex Deo est, negat esse ex Deo, nescimus cui faciat injuriam nisi Deo, ac per hoc illi utique Trinitati, quod malum absit a vobis, sicut abesse credimus. Absit omnino ut tale aliquid in animo dicimus tuo, vel sacratae virginis filiae tuae, sed in cuiusque extremi meriti famuli, vel famulae vestrae liber iste fecerit,

fecerit, ex quo nonnulla verba quae facilius intelligi possent, ponenda credidimus. Si autem diligentius intendatis, etiam illa quae ibi videntur velut pro gratia sive adiutorio Dei dicere, sic inventis ambigua, ut possint referri vel ad naturam, vel ad doctrinam, vel ad remissionem peccatorum. Nam & quod confiteri coguntur, orare nos debere ne intremus in tentationem, possunt ad hoc referre: ut haec nos respondeant ad id adjuvari: quatenus orantibus atque pulsantibus nobis aperiatur intelligentia veritatis: ubi dilectus quid facere debeamus, non ut vires accipiat voluntas nostra, quibus id quod dicimus, faciamus. Et quod nobis in gratia vel adiutorio Dei dicunt, Dominum Christum bene vivendi propositum exemplum: ad eandem doctrinam revocant, quia facilius in ejus exemplo discimus quemadmodum vivere debeamus. Non autem volunt ad hoc nos juvari, ut quod discendo cognoscimus, etiam diligendo faciamus. Aut certe in eodem libro invenite aliquid si potestis, ubi excepta natura, excepto quod ad eandem naturam pertinet arbitrio voluntatis, excepta remissione peccatorum & revelatione doctrinae: tale Dei adiutorium confiteatur, quale confiteatur & ille qui dicit: Cum scirem quia nemo esse potest continens nisi Deus det. Et hoc ipsum erat sapientiae, scire cuius etiam esset donum. Adii Dominum & deprecatus sum illum. Neque enim iste aut naturam precando volebat accipere, in qua conditus erat, aut de naturali voluntatis arbitrio satagebat cum quo conditus erat, aut remissionem peccatorum desiderabat: quin potius continentiam, ne peccaret optabat, vel quid faciendum esset scire cupiebat: cum jam se scire fatere- tur, cuius esset hoc donum. Sed utique tantas voluntatis vires: tantum dilectionis ardorem volebat accipere spiritu sapientiae qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiae. Si ergo aliquid tale illic invenire poteritis, uberrimas gratias agimus, si rescribendo insinuate dignemini. Satis enim dici non potest quantum cupiamus in eorum hominum scriptis, qui propter acrimoniam atque facundiam leguntur a plurimis, apertam confessionem illius gratiae reperiri: quam vehementer commendat Apostolus, qui etiam mensuram fidei (sine qua impossibile est Deo placere, ex qua iustus vivit: quae per dilectionem operatur: ante quam & sine qua omnino nulla cuiusquam opera bona existimanda sunt: quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est.) Deum dicit unicuique paritum. Nec sola revelatione scientiae nos divinitus adjuvari: ut pie iusteque vivamus in hoc saeculo, quae sine charitate inflat: verumetiam inspiratione charitatis ipsius, quae plenitudo legis est, & quae cor nostrum ut scientia non inflet, edificat. Sed adhuc nusquam tale aliquid in eorum literis potuimus invenire. Maxime autem hoc in illo libro esse vellemus, ex quo descripta illa posuimus verba: ubi virginem Christi ita laudans tanquam spirituales divitias nullas ei praeter ipsam conferre possit: & tanquam nisi ex ipsa esse non possint, non vult eam in Domino gloriari, sed se gloriari, quasi non accepit. In quo libro quamvis nec ipsius, nec tuae reverentiae nomen expresserit: tamen a matre virginis, ut ad eam scriberet, a se postulatam esse commemorat. In quadam vero Epistola sua idem Pelagius, ubi & nomen suum apertissime ponit, nec nomen sacrae virginis tacet: dicit ad eam se scripsisse: & ejusdem sui operis testimonio probare nititur, se gratiam Dei, quam vel tacere, vel negare abseritur, apertissime confiteri. Sed utrum ipse sit liber, in quo de spiritualibus divitiis illa verba posuit, vel utrum ad vestram pervenerit Sanctitatem, rescriptis vestris petimus nos dignemini facere certiores.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Et haec sane nec infans est, nec inerudita, non admodum discrepans a superioris Epistola stylo, ab Hieronymiano longe lateque distans. Verum quod Geruntii meminit titulus, & ad Geruntiam scripsit Hieronymus, hinc opinor errorem tituli natum fuisse.

AD GERUNTII FILIAS
de contemnenda hereditate.

CUNCTI mei sensus affectu vobis vacant, & si interim loco segregor: nam & videre vos mihi video & audire: tam me occupatum habet vestra dilectio. Quod si
Tom. V.

vos invicem faciatis: cum illud impossibile sit fieri per carnem, possibile redditur ex spiritu, ut fiat duorum hominum corpus unum. Nam ut probem etiam vestra mecum vigilare colloquia: accipite quid de hereditate, quod suggestistis cogitanti altius videatur, quoniam me etiam in carnalium arbitrium per spiritualia delegistis. Possent quidem dicere: Quis me confiteatur iudicem, aut divitem inter vos: si non ad infideles processisset ista sententia: Judaeorum enim incredulitas hac Domini responsione repercutitur, non feritur. Nam ipsi aliquando Judaei in ipso Moyse visitationem illam Domini non videntes qua Aegyptium fratris liberator occiderat: sequentique die fratrum discordias rixasque volens sedare, ausi sunt dicere: Quis te constituit principem, aut iudicem super nos? Ac proinde suo illis Dominus ore respondit, quo amplius confutarentur, si proderentur falso se querere quem spreverint, dicente ipso: Si credidissetis Moysi, crederetis utique & mihi. Sed quoniam & ego vester sum, & vos vere scio quae sitis iudicium ejus qui Aegyptium gaudenter occidit: & cum adversario, dum in via estis, mirimini cito confederare concordiam, apud Judaeos sibi suam sententiam relinquimus super ipsos qui eam protulere venientem. Nos humilibus de Domini lenitate dicemus: Vobis datum est scire mysterium. Ac proinde, ut ad exordium diverticuli revertamur, hereditatem illam vobis arbitror contemnendam, nec aliquid a iudice saeculi postulandum. Quomodo enim vobis illos licet adire, qui etiam suo iudicio nesciunt veritatem? Quandoquidem Pilatus ex ipsorum curia, sic loquitur ad Dominum: Quid est veritas? Nempe hic iudex erat, & negotia causaeque litigantium libripente iustitia tanto statuto iure solvebat: & quid hic valebat facere, si non noverat veritatem? Certe Evangelista adeo iustum fuisse Pilatum commemorat: ut innocentem mallet absolvere quam punire: & tamen veritatem quasi discere cupiat, inquit. Nam veritatis ignoratio, interrogationis est actio. Quid ergo dicemus? Inanes sine dubio mortalium curas, & uniformem mundanorum rerum prodidit falsitatem: ibique iudicia vera non esse, ubi sunt mentita negotia: seque in rebus carentibus veritate, carere vero iudicio iudicat. Quid enim quasi nostrum apud illa tribunalia repetemus: si, praescribente Apostolo, nihil intulimus in hunc mundum: verum nec auferre quid possumus? Si enim nihil intulimus in hunc mundum veniendo, & nihil auferre poterimus abeundo. Falso aliquid nostrum hic esse dicimus, ubi nobis totus pene mundus alienus est. De quo nobis quid saeculi tribuere poterit, si nihil natura donavit? Quid Pilatus veritatis interrogator potius quam prolator: quid, inquam, nisi Barrabam, quem illo iudaei Deo caeli praeferebant, quia ad iudicem saeculi convolarunt? In quo utique perfidus populus non reum, sed reatum accepit. Sed haec de iudicio sunt dicta, non de negotio. Ceterum quod ad causam pertinet, non solum moneo, sed obtestor, ut si Geruntium pro Christo offendistis, in ea offensione dureris. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nam si causa offensionis est Christus, amplexandum est impii patris elogium, non dolendum: ne recedamus a Christo, cui nos illa exhereditatio commendat, sicut scriptum est: Beati estis cum persecuti vos fuerint, & maledixerint nomini vestro tanquam malo, propter filium hominis: gaudeate in illa die, & exultate: ecce merces vestra multa est in caelo. Hanc mercedem offensio illa providit, cuius poenitet veritatis. Quod si vocat Dominum in imagine Levitarum, spiritualibus gladiis, corporeos occidistis affectus: quem patrem desideratis? Unus est enim pater noster qui in caelis est, ac proinde Dominus hereditas vestra. In Christo enim possidendum est, quod cum Christo esse possidendum. Ne revertamini ad mortuum, qui sequimini viventem. Mortui, inquit, sepeliant mortuos suos. At si iam pridem dixistis: Pater non novimus te: ut testamentum Domini servaveris: quid adhuc repudiatis patris queritis testamentum? Hic est ille gladius qui a Domino per terras, patrem a filio separaturus immisus est. Hoc est vere circumcidere naturam, quod Judaei forma & non veritate custodiunt: & circumcidere cultro petri. Petra autem erat Christus. Is utique qui dixit: Si quis amaverit patrem, aut matrem super me, non est me dignus. Hoc vos gladio tentantes, illos imitamine Levitas, ab interiori homine per exterioris vestri castra currentes, obvios affectus pro Domini amore jugulate: iuxta legislatoris imperium pertranseuntes primum virtutum exercitum cum reditu: videlicet ut praeterita transeuntes, nec sa-